



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pe pagomenus>

Lvtetiae, 1612

ijj. De discrimine accipitrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

enim nonnulli capite paruo, serpentini capitis similitudinem gerente, hoc est, æquabiliter in extremas partes porrecto & lato. Sunt etiam alij longi. sed meliores rotundi, & quadrati; quorum nares nigræ, caput paruum, summus capitum vertex, ut aquilarum, planus; lingua omnino nigra; in cauda tredecim aut quatuordecim pennæ; squamæ in digitis similes squamis cyprini piscis, ad radices calcarium notæ quedam. Citrinus color in accipitre ne sit valde candidus; nam ostendit accipitrem non longæuū fore. Qui lingua sunt partim alba, partim nigra, secundas bonitatis ferunt. Qui alba omnino, improbandi sunt. Ille verò, qui eleophorus appellatur, colore oleaceo, est breuis vitæ.

De discrimine accipitrum.

MULTA sunt genera Accipitrum. Alij celeres ad venandum, columbis & palumbis infestissimi, hi aues minores capiunt. Alij ad volandum pigerrimi, & adeò tardi, ut velint ab alijs nutriti. iij ranis insidiantur. Nonnulli venandi societatem cum hominibus coëunt; & alaudis, & hirundinibus hostes sunt, quos aliquis cognatos

Terei dicere possit. maxime hebetes oculos
habent, sed se curare norunt succo lacticæ
agrestis.

*Si velis emere accipitrem, quibus signis
cognoscatur, utrum sanus sit,
an ægrotus.*

COLVMBAM vino odorato & veteri
aspersam cum lasere præbeto accipitri
edendam: tum mox cognosces, sanus sit,
necne. Si sit enim ægrotus, illam non at-
tinget. Vel eundem humi deponito non
procul à pedibus tuis. extollito manum
tuam altè, quantum potes, eumque car-
nibus appellato. si confessim venerit in
manum, scito sanum esse: sin minus, ægro-
tare. ne igitur hunc emeris. Vel sumito ex
fabri officina ferri ramentum, idque bene
tritum, ex carne detur accipitri edendum.
si ipsum deuorauit, sanus est: sin minus,
ægrotat. Sed si cum sanguine illud expuit,
signum est, eius viscera male affecta esse.
Ac si acciderit, ubi ferti scobem sumpserit,
vt eius ossa & articuli sonent, signum illud
tibi sit, debilia esse eius interiora. Vel su-
mito ouillum pulmonem calidum, accipi-
tri que præbeto. si confessim nullam sentit
molestiam